

www.e-rara.ch

Apotharapeia iatrikē

Bauhin, Caspar

Basileae Rauracorum, 1581

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-166>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ΑΠΟΘΕΡΑ-
ΠΕΙΑ ΙΑΤΡΙΚΗ
QVAM MEDICAE
LAVREAE CAUSA.

CASPARVS BAVHINVS

BASILIENSIS,
Scitu, iussuq; Gratiosi ORDINIS

ASCLEPIADEI BASIL. A. D. XIII. KL.
MAII: hora locoq; consuetis,

ΤΥΧΗ ΚΑΙ ΓΟΝΕ,
subibit.



ANNO M. D. XXCI.
BASILAE RAVRACORVM.

Catalog

Ornatiss. D. Ludouico
Helm, antiqua amicitia & memoria

IOHAN▷ BAVHINO

ASCLEPIADEI ORD. APVD
BASILIENSES

DECVRIONI, PATRI
obseruandissimo.

IOHAN. item BAVHINO

ILLVST. PRIN.

FRIDERICI, COMITIS VVIR-

tenberg. & Montembelgardenfis

Archiatro &

Consiliario, Germano suo, uerè
Germano.

CASPARVS BAVHINVS

BASIL. Medicinæ Candidatus,

Obseruantia & amoris

Ergò, D.

DE DOLORE COLICO.



*V*M inter affectus Intestinorum, grauiſſimus ille ſit, inq̄ his regionibus frequentiſſimus, qui à Gracis, nomine, Κωλικὸν ὀδύνην, donatur: ſi de eo, ὀδυθῆν, diſquiſitionem ſuſcepero, me à propoſito nil alieni facturum arbitror: quocirca, de DOLORE COLI propriè dicto, utpote frequentiſſimo, paucis pertractabo.

THESIS PRIMA.

*H*IC affectus referente Plin. lib. 26. cap. 1. Tiberij Caſaris principatu primo irrepſit, nec quiſquam prior ipſo Imperatore hoc fuit conflictatus, ut etiã teſtatur Scribonius Largus: Veteribus tamen, minimè ignotum fuiſſe, ſtatuiſſimus, ut ex Hip. 6. Epid. part. 4. Aph. 3. patet.

I I.

*D*olor Colicus ita nobis deſcribitur, quod ſit Dolor inteſtini Coli uehemens, cum ſacum retentione.

I I I.

*D*icitur autem Paulo, κωλικὴ διαθήκη, Celſo Coli dolor, & morbus inteſtini plenioris, alijs Colica paſſio, ἀπὸ τοῦ κωλικάσι: unde Tormentum ueteribus: uel, à loco quem præcipuè occupat, nomen ſortitur.

I V.

*L*ocus enim affectus, eſt Intestinum craſſum, quibuſdam & tenuè: & ruruſus, uel eſt in cauitate inteſtinorum, uel intra tunicas eorundem, cauſa doloris ſedem habet.

V.

CAUSAE alia sunt *προγεννητικα*, alia uero *προκαταρτικα*.

VI.

Interna causa, secundū Gal. 12. Meth. & Auic. 16. Trac. 3. est Intemperies & Solutio continui. Illa autem, uel est sine materia secundum aliquos, uel cum materia, ut nos statuimus.

VII.

Materia uero, uel est Flatus crassior, uel Humor, uel utraque coniuncta.

VIII.

Humores rursum, sunt potissimū crudi et frigidi, ut est Pituita, eaq. Vitrea, ut uoluit Praxagoras, quae uel à toto corpore derivatur in Intestina, uel à parte. Si à parte tum uel à Ventriculo proficiscitur & ibi generatur, uel à capite delabatur, ut docet Rhasis & Conti. ex sententia Galeni.

IX.

Alterca causa interna, est Solutio continui, quae fit, uel à Flatuum nimium distendente, uel alio corpore tensione sua molestante, ut est Lapis in Intestinis genitus, quod quia rarius fit, idcirco adnotare placuit.

X.

Externa uero & procat arctica causa, plures recensentur: atas, corporis constitutio, aer frigidus, hybernalis, pestilentialis aliquando: Regiones septentrionales secundum Auic. otium, cruditas, crapula, potus uel aquae frigidae & crassae, uel uini niue & glacie refrigerati. Fructuum recentium nimius usus & balnea intempesti-

ua, hisq; similia, qua crudos & frigidos in corpore humores, uel flatus gignere possunt.

XI.

Differentia autem ipsius Colici doloris sunt, haec potissimū, quod alius sit Verus de quo potissimū agimus, alius Nothus. Verus rursum uariat, uel ratione Cause, uel ratione Loci. Ratione cause, quod alius à flatu, alius ab humore frigido, crasso & lento, alius ab alia quapiam causa, originem ducit. Ratione Loci, quod causa doloris residet, uel in ipsa capacitae intestini, uel inter tunicas eius. Haec omnia suis signis sunt distinguenda.

XII.

SIGNA alia sunt distinctiua, alia διαγνωτικά, alia προγνωτικά.

XIII.

Distinctiua sunt, qua distinguunt Dolorem Colicum à Nephritico (qui duo affectus omnium sunt grauissimi) in quo dignoscendo, facile est labi, ut Gal. 2. loco affec. 5 & 6. eiusdem i. se deceptum fuisse in seipso pronunciat.

XIV.

A tribus potissimum fontibus, signa haec Distinctiua sumuntur: à Dolore, à Inuantibus & ledentibus & ab Excrementis.

XV.

Dolore ergo primo, hi duo affectus distinguuntur, qui in Colica maior, plures partes occupans, modo supra modo infra renes, magis ad pectus inclinans, sitq; subito, maiorq; plenis intestinis.

XVI.

In Nephritide uero dolor semper minor existit, unam partem
A 3 molestans,

molestans, nempe partes posteriores, qui paulatim incipit, à dorso, cum urina difficultate, magisq̃, uacuis intestinis, urget.

XVII.

Deinde, signa sumuntur à Iuuantibus & ledentibus: in Colica enim, Clysteres iuuant, excretiones factæ per medicamenta, crepitus uentris & oris. In Renali uerò, parum aut nil iuuant, sed diuretica & abortiua hic conueniunt, quæ in Colica, ne minimum profunt.

XVIII.

Tum signa desumimus ab Excrementis mutatis, quæ in Colicis sunt arida, dura, ueluti οὐβάδα: in Nephritide uerò, sunt molliora: addimus etiam ex Gal. & Auic. quod in hoc affectu, à principio, Urina uel supprimuntur, uel minguntur primo clara, tenues & aquosæ: postmodum turbida, crassa, arenosa & interdum cruenta, redditur urina:

XIX.

Præcipuis istis addere possumus, signa desumpta ab Accidentibus mutatis, à causis antecedentibus & alijs, quæ breuitati studentes, temporiq̃, inseruientes, præterimus.

XX.

Διαγνωτικὰ signa, alia Vniuersalia, alia Particularia, pro ratione causæ, uariant.

XXI.

Vniuersalia sunt, quæ ex relatione egrotantium & sensu comparantur: sunt autem potissimum, Dolor uentris, grauitas totius corporis, cibi fastidium, nausea, sudor frigidus, contractio crurū. Testes deniq̃, & suspensiones, secundum Aræteum, mirè torquentur. Commune etiam signum esse testatur Auic. ut Urina rubra conspiciantur.

XXII.

Particularia uerò signa, alia Causam, alia Locum, ostendunt. Quae causam, indicant uel Humorem, uel Flatum, uel aliam causam aliquam.

XXIII.

Pituitam causare hunc dolorem, signa haec demonstrant, ut docet Gal. 12. Meth. 7. Dolor non adeo intensus, sed in alto haerens, isq; fixus, adeo ut ipsum intestinum perforari quasi sentiant. Tormina affligunt, nausea, uomitus pituitosus: si quid egeritur, pituita obductum cernitur (imò copiam pituitae compactam, aliquando uisam esse excretam, testor) lenia & flatibus plena, ea quae excernuntur, quandoq; uisuntur, neq; ructibus, neq; flatibus emissis, demulcentur.

XXIV.

Flatus si doloris causa fuerint, dolor erit maximus, tensus, uagus, instabilis, rugitus & inflatio uentris, ructu crepituu leuatur.

XXV.

Signa uerò, quae Locum ostendunt: indicant, utrum sit in cavitatem intestini, an uerò intra tunicas, haereat causa mali.

XXVI.

Gal. 12. Meth. ait. Si in Colica adhibeantur Enemata & Cataplasmata calfacientia, & flatus discutientia, dolorq; non mitigetur, signum erit, humores infarctos esse substantia intestinorum. Sin uerò contrarium accidat, contrarium existimandum & pronunciandum.

XXVII.

Deinde, si causa sit in cavitatem Intestinorum, mobiles ferè generantur dolores & per interualla quaedam breuia, recrudescentes: sin uerò sit intra tunicas, continui & pertinaciores efficiuntur cruciatus.

XXVIII.

Signa tandem succedunt $\omega\sigma\gamma\upsilon\sigma\tau\iota\mu\alpha$: si dolor colicus uehemens sit & continuus, cum nausea, nec quidquam tamen, nec infra, nec supra eijciatur, simul & loco non moueatur, malum: & quidem peius, quam si contrà.

XXIX.

Pessimum, si fœteat simul anhelitus, transit enim sæpè malum in Ileon, ut testatur Paulus.

XXX.

Frequenter sudare, & animo deficere, lethale.

XXXI.

Si fiat ab inflammatione & præsertim si corpus statim intumescat, periculosiss. unde 12. horis sæpè iugulare solet.

XXXII.

Desinit sæpè Colicus dolor in $\omega\sigma\phi\theta\iota\upsilon$ artuum, ut docet Gal. com. ad lib. de Humo. Paul. lib. 3. cap. 43. & Auic. simul & quotidiana experientia, in nostris his regionibus testatur.

XXXIII.

Alijs non ad membra, materia hæc transmittitur, sed in pectus, aut spinam impellitur, uox cum respiratione grauiter læduntur, ac tandem mors consequitur: in alijs uerò, ad alia loca materia defertur, ut in caput, unde Epilepsiam creat, uel aliud simile contingit.

XXXIV.

CVRATIO sequitur, quam instituemus conuenientem Coli-

eo dolori propriè dicto, quig, communiter accidit, nempe ab Humore frigido & à Flatibus.

XXXV.

Huius affectus curatio, in duobus consistit, in Doloris sedatione & Cause ablatione.

XXXVI.

Dolori primo occurremus, si nimium urgeat (nil enim est, quod faciat æquè infirmum corpus ac dolor, ut docet Hip. 3. de Fractu;) & id quidem, primo Anodynis præstabimus.

XXXVII.

Anodyna autem erunt, quæ uel intrinsecus, uel extrinsecus applicabimus. Intrinsecus quidem, conueniunt Enemata anodyna & lenitiua. Extrinsecus uerò, ex usu erunt Inunctiones ex Ol. calidis Chamo. Nardi. de piperibus, Rutaceo. Cataplasmata ex herbis emollientibus. Fodus ex herbarum calidarum decocto. Sacculi etiam parantur. Emplastra similiter commendantur, ut ex Ouis cum Butyro instar placentæ applicita. Sic & Omenta friguntur in oleis calidis & uentri apponuntur, hisq, similia.

XXXVIII.

His si dolor minimè cedat, uiriumq, maxima sit prostratio, ad Narcotica transibimus, eaq, uel per os exhibebimus, uel per clysmata inijciemus. Si per os, dabimus Opium cum Castorio. Clysteribus uerò miscebimus in maiori dosi. Validior est Athanasia, Tryhera magna, ualentius est Philoniū: alij exhibent ipsum Opium correctum. Hæc ratione doloris præstanda.

XXXIX.

Causa postmodum (si ob uehementiam doloris, non licuerit eam prius amoliri) auferenda: & quidem, si Pituita causa mali
B fuerit,

fuerit, quinq; Scopos curatorios requiret 1. Scopus erit Ventris lenitio, 2. Humorū preparatio. 3. Euacuatio. 4. Residui resolutio ac 5. Partium corroboratio.

XL.

Primus scopus adimplebitur Lenientibus, uel Clystere, uel Vomitu, uel Medicamentis. Clysteribus, primum emollientibus utemur, uel ex solo Oleo & Butyro sensim ad acriores transeundo, addito Elec. Indo. Hiera Logod. Benedic. laxa. cum ol. calidioribus. Vel suppositoria, ex Pauli decreto parabuntur, mitiora primum, postmodum fortiora, ex Elleb. Coloquin. Scamo. Troch. albandal. Vomitum uerò conuenientibus prouocabimus, ut succo Raphani: uel semine eiusdem cum uino: uel Oxymelite cum decocto seminum Anethi. In Potu uero præstantissimum erit, exhibere ol. dulce, uel Amyg. dulcium.

XLI.

Digestio autem uel preparatio, est humoris frigidi & crassi: unde attenuandi, calfaciendi, & exsiccandi: id autem fiet cum Syr. de duabus radici. Byssan. Oxymel. simp. uel parata decoctione aliqua conuenienti, ex calidioribus & additis Syrupis aliquibus.

XLII.

Euacuatio uerò, preparato humore, perficietur Pil. leuioribus, ut ex Hiera Gal. cum uino. Fortiores erunt Pil. fætida, Iliaca Almansf. de Sagape. de Agari. Cochia. Vel potionibus, uel Syrupis conuenientibus Catharticis, utemur. Mirificè commendatur Diaphœnicum, cum Diacatholi. & speciebus Hiera.

XLIII.

Ipsius residui resolutio, fit cum ol. calidis, in quibus decocta sint, Cyminiū, Fœni. Abrota. Pulegium. Vel cum Electuarijs calidis, ut Elec. de Baccis lauri. Diamosf. Diacy. Diagalan. Aroma. rosa. uel infundimus ol. Rutaceum, cum uino Cretico.

XLIV.

XLIV.

Corroborantibus tandem utemur, inprimis autem præscribetur conueniens Victus ratio, malo contraria (quam prudens Medicus, statim in initio etiam præscribet) que in sex rebus non naturalibus consistit. inprimis conueniunt Vina medicata, ut Anisatum, Absinthites, Piperatum. Vitanda uero omnia, que crassum humorem & flatus gignere possunt.

XLV.

Hæc facienda sunt, si in causa fuerit ipsa Pituita, alternis diebus purgando, sedulo enim cauendum, ne aluus adstricta reddatur: ait enim Auic. singulis diebus, in Colica feces ducito. Vnde, ad hoc præstandum, Vinum Absinthites præscribemus, additis purgantibus, quod etiam loco Præseruationis, ne recidiam patiantur conuenit.

XLVI.

Si à Flatibus malum ortum sit, Indicatio erit Flatuum resolutio, idcirco conueniens similiter Victus ratio præscribetur: inprimis commendant inter cibos cum Gal. Theriacam rusticorum, Alium dictum: Et quia plerumq. humores Flatibus permisti sunt, idcirco si aluus sit adstricta, similiter lenienda clysteribus, non solū emollientibus, sed etiam flatum discutientibus, à mitioribus incipiendo, postmodum conuenientibus purgandum, ut Syr. flor. Persicorum Prunorū, Manna, Diapruno laxa, similibusq. His factis utemur Flatibus discutientibus, tam Intrinsecis quā Extrinsecis.

XLVII.

Intrinsecus conducet Elec. de Baccis lauri: Nux myristica cum nino Cretico, uel Hippocratico dicto. Diatriopii. Diagal. Diaspo. Diacasto. Theriacæ usus commendatur à Gal. & Auenzoare: Mithridatium etiam conuenit, cum Conser. Anthos aut Betonica.

XLVIII.

Extrinsecus uerò commoda erunt, Ol. calida, ut Ruta, Anethi, Anisi. Emplastra, ut de Baccis lauri. Fetus, ex flatibus discutientibus. Sacculi item. Cucurbitula magna ignita uentri applicata, à Gal. 12. Meth. commendatur, ad eod. ut incantamenti cuiuspiam, simile quid, in his affectibus, efficiat.

XLIX.

Si à Facibus fiat induratis (ut hoc obiter addamus) mollienda

lenientibus: deinde acrioribus Clysteribus, Balneis, Infectionibus
& similibus, quæ, ut tempori in seruiamus, omittimus.

L.

Plurima tandem sunt, quæ in hoc affectu, à proprietate conferre dicuntur, nos ex multis, pauca adferemus, ut Puluis Coli intestini Lupi, sic & Hominis, nunc aliqui exhibent. Stercus Lupi secundum Gal. 10. simp. ex aqua & uino sumptum. Alaudam in cibo, mirificè cõmendat Marcellus lib. de Medicam. cap. 29. Sic Aetius, lib. 9. cap. 31. Castoreum, omnibus medicamentis prestare, ait. Et talia multa habentur apud authores, quorum consulto, ut breuitati indulgeamus, non meminimus.

CONCLUSIO.

Hæc sunt, quæ pro ratione tẽporis, nobis uisa sunt, de DOLORE COLICO, esse dicenda. Sed EGO quod uolui, non per omnium sum assecutus, idcirco

Quod potui feci, superis sint
cætera curæ.

GAL. II. DE COMPOS.

κατὰ τὴν ὁρμην.

Χαλιπὸρ γὰρ ἀνθρώπου ὄντα, μὴ διαμαρτάνειν εἰ πολλοῖς, τὰ μὲν
ὅπως ἀγροῦσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρινῶντα, τὰ δὲ
ἀμυλιέσφορα γράψαντα.

ΜΟΝΩ ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.